



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Quatuor alio pio homini necessaria quæ sint. Cap. LVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Quatuor alia pio homini necessaria,
quæ sunt.

CAPVT. LVI.

Resignatio
vera quæ.

Mat. 6.

Laudes & vi-
tuperia ho-
minum non
curandæ.

Vnum neco-
sarium senti-
perque cogi-
tandū quod.
Luc. 10.

Primum est (quod alioqui sæpius præmonui, nunquamque satis incolesti potest) vt omnia quæ tibi eueniunt, quomodocunque aut vndeunque fiant, de manu Domini accipias sine hæbitatione aliqua: quia Dominus sic ordinauit, sic iussit, eritque ad salutem animæ tuæ, quanquam id nescias. Secundum, sic eidem omnia resignes & commendes. tam præsentia quàm futura, vt quicquid fiat, aliud non velis, credens quod hoc velit Dominus, vt sine hæbitatione, sine cura dicas: *Fiat voluntas tua Domine: siue hoc siue aliud fiat, quid ad me ita volo sicut tu vis, & non aliud.* Tertium, cogita hoc verbum: Dominus pugnabit pro nobis, & vos tacebitis. Ideo quicquid alij de te sentiant, quicquid tibi faciant aut dicant, sit tibi indifferens, quo minus grauate feras omnia absq; fantasia aut recogitatione tacens in silentio cordis, siue videaris vtilis, bonus aut malus. Dic igitur tibi ipsi. Nihil hoc ad me, sum qui sum, is sum qui ante oculos Domini sum. Scio antè quod vilissimus & ingratus sum atq; cõtinuo facinorosus in Dei conspectu sum. Hoc neq; laudes neq; vituperia hominũ mutare possit. Cur igitur reputari õ stulte velis, cũ iniuria veritatis? Nihil igitur aliorũ estimatione cura. Laudantes te, non te faciũt meliorũ; vituperantes non te efficiunt (quam es) deteriorem. Tace igitur, & voluntate Deo vnitus in simplicitate cordis confiste. Non etiã cogites quod de te hoc illudve ab alijs cogitetur, neque enim opiniones cogitationesque hominum scire aut prohibere potes, quandoquidem huiusmodi tibi nihil conferunt, nihil tollunt. Arbitrari potest quod benè de te sentiant omnes, quamuis in hoc quod benè sentiunt nimis errent, de quo tu vehementer doleas. Aestimare alium quod malè sentiat de proximo, est malè sentire de proximo, aut iudicare illum, propterea caue, ne tam fratres aestimes huiusmodi. Quartum, ad omnia quæ extra Deum sunt, sic te habe sicut te habuisti nondũ natus, puer triennis, aut iam dudum mortuus. De omnibus nihil ad te. Vnũ est necessariũ, de quo semper cogitare oportet, & illi omnia committere, vt neque audire neque sentire aliquo sensũ, vel cogitare extra te ipsum aliquid velis. Ex omnibus autem quæ audis, aut quæ legis, erigere studeas mentem tuam in Deum, & ea trahas in affectum secundũ propõsitum tuum ad Deum. Nunquam res tam secularis, vel tam absurda dici vel sentiri possit, in qua non inuenias aliquid ex quo eleuare queas mentem ad Deum, applicando ad ipsum quæ audis; vt vel gratias agas, quia bonum prouidit; aut depreceris malum, quod sustines. Nullum eni in verbum tam est carnale, quod non habeat, vel applicari possit ad spirituale.